DE

NATURA ET NOTIONE SYMBOLICA CHERUBORUM.

COMMENTATIO

AD MUNUS PROFESSORIS THEOLOGIAE EXTRAORDINARII
IN UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE INAUGURANDUM

CONSCRIPTA

AB

EDUARDO C. AUG. RIEHM,
LIC. THEOL.

BASILEAE ET LUDOVICIBURGI,
VENDUNT BALMER ET RIEHM.
MDCCCLXIV.



Quamvis multam viri docti in quaestione quae est de natura et notione symbolica Cheruborum operam curamque consumpserint, tamen usque ad nostram aetatem tam variae sunt tamque discrepantes eorum sententiae, ut rem nequaquam satis adhuc exploratam esse et cognitam iudicaveris. Quare non vereor ne acta agere videar, Veteris Testamenti locis ad hanc quaestionem pertinentibus diligentius inspectis et examinatis, rei perobscurae novam lucem afferre conaturus. —

Ad veram atque propriam Cheruborum naturam explorandam plurimum interest ut, temporum distinguendorum diligenter habita ratione, non a visionibus propheticis Ezechielis ad quaestionem nostram pertinentibus (Ez. I. X.) disputationis principium ducamus, sed a Cheruborum tabernaculi Mosaici et templi a Salomone exstructi descriptionibus (Ex XXV, 18—22. XXXVII, 7—9. I. Reg. VI, 23—28. II. Chron. III, 7. 10—14.). Aliter enim imminet periculum, ne additamenta adventicia in eorum quae ad propriam Cheruborum naturam pertinent numero habeamus. Quod, ut mihi quidem videtur, iis accidit qui veterem et pervulgatam opinionem sequuntur qua Cherubi proprium creditur, ut speciem e quatuor animantium formis, hominis scilicet, leonis, bovis, aquilae, compositam prae se ferat. Quae opinio inveterata visionibus tantum illis Ezechielis nititur, unde speciem multiformam in Cherubos tabernaculi Mosaici et templi, nescio quo iure, transtulerunt. Nam compositio illa apud Ezechielem non pertinet nisi ad quaternas Cheruborum facies (Ez. I, 10. cf. v. 7. X, 14. 21 sq.), quum neque alae quas aquilinas fuisse non legimus, neque pe-

dum plantae vitulinorum similes (Ez. I, 7) i. e. rotundae et omni parte sibi similes ad quatuor animantium formas referri possint. Iam vero Cherubi et tabernaculi Mosaici et templi Salomonis singulas tantum habent facies, quod e locis Exod. XXV, 20. XXXVII, 9. II. Chron. III, 13. apparet. Quo igitur iure hos quoque e forma humana, leonina, bovina, aquilina compositos fuisse dictitant?

Fortasse illuc confugis ut cum *Baehrio*[1]) aliisque figuram et formam Cheruborum variabilem fuisse statuas. Modo quaternas, dicunt, modo binas, modo singulas tantum facies, nunc binos, nunc quaternos pedes, modo binas, interdum quaternas alas Cherubos habuisse; imo eorum corpora modo humanis, tum bovinis similia fuisse; suffecisse ut qualicunque modo quatuor illorum animantium formae in iis conspicuae fuerint. Sed rationes quae ad hanc sententiam comprobandam afferuntur non satis firmas puto. Ad Ezechielem provocant quem ipsum in describenda Cheruborum figura sibi non constare dicunt, quippe qui Cherubo modo quatuor (I, 10), modo duas (XLI, 18), modo unam tantum (X, 14) tribuat faciem[2]). Sed loco Ez. XLI, 18 sqq. de Cheruborum imaginibus, in tabulis quibus templi Ezechieliani parietes operti erant caelatis agitur; in plano autem parietis binae tantummodo facies effingi poterant; quare ex hac descriptione effici non potest, Ezechielem in concipienda Cheruborum figura sibi non constitisse[3]). — Verba autem quae Ez. X, 14. leguntur tam obscura sunt, imo omni intellectu carent, ut corruptelarum sordibus obruta videantur, nisi forte, Hitzigium subsequens, totum versum pro pravo additamento habere malueris[4]). Certe versus Ez. X, 20—22, col. v. 11, primisque ipsius v. 14.

---

1) cf. *Baehrium:* Symbolik des Mosaischen Cultus I. pag. 312 sqq.

2) cf. *Baehrium* l. l. pag. 313.

3) cf. *Cl. Medum* apud *Io. Spencerum:* de legibus Hebraeorum ritualibus. Tubing. 1732 pag. 857 et *Rosenmülleri* Scholia ad l. l.

4) cf. quae *Hitzigius* in commentario in Ezechielis librum de hoc loco disputavit. — Perperam nonnulli (*Grotius*, *Bochartus*, *Spencerus* l. l. pag. 854 sq. al.), quoniam praeter faciem hominis, leonis et aquilae Ez. I. 10. פְּנֵי שׁוֹר, hoc autem loco פְּנֵי הַכְּרוּב commemoratur, Cheruborum corpora praecipue bovinis similia habenda esse putaverunt; quod ipsius prophetae verbis Ez. I, 5 (וְזֶה מַרְאֵיהֶן דְּמוּת אָדָם לָהֵנָּה) repugnat. Iidem temere vocabulum כרוב bo-

verbis, magno argumento esse debent, Cherubis cap. X. descriptis non singulas sed quaternas facies fuisse. Itaque sententia qua figuram et formam Cheruborum variabilem fuisse perhibent, Ezechielis testimonio probari nequit. — Illud sane constat Cheruborum figuram aliam fuisse in tabernaculo sacro et templo, aliam apud Ezechielem, aliam in Ioannis Apocalypsi (IV, 6 sqq.). Quod tamen temporum ratione habita, nequaquam te eo adducet, ut Hebraeos veteres Cherubis certam et definitam figuram non tribuisse temere statuas. Imo quum scriptores sacri tabernaculum Mosaicum et templum Salomonis describentes in rebus minutioribus tam accurate singula persequantur, de Cheruborum autem simulacris perpauca tantum notanda arbitrentur, eorum sententiam qui Cheruborum figuram certam et definitam fuisse statuunt proxime ad verum accedere censebis. —

Ut vero sint variabiles Cheruborum figurae hoc certe probari nequit compositionem ex quatuor illorum animantium formis ad propriam eorum naturam referendam esse. Etenim constat Cherubis tabernaculi et templi singulas tantum facies fuisse, Cherubis autem Ezechielis quaternas; praeterea constat quatuor animantium formas ab Ezechiele singulis Cherubis tributas, ad quaternas facies tantum pertinere. Quibus concessis nonne totam illam compositionem a propria Cheruborum natura alienam et pro Ezechielis additamento habendam esse concludamus?

Quid? si visione prophetae diligentius examinata, huius additamenti rationem certam deprehenderis et in qua acquiescas? Non dubium est quin tota currus Cherubini descriptio ita composita sit, ut eum ad quatuor coeli plagas directum, quoquoversum facile ferri potuisse, nec unquam convertendum fuisse appareat[5]). Huc spectat rotarum structura, Ez. I, 15—17. X, 10 sq. descripta; huc pedum Cherubinorum plantae vitulinorum similes (Ez. I, 7); huc etiam singuli capitis quaternae facies. Ut, sese non vertentes, progredi, regredi, ad

vem denotare statuunt, quod sane ea ratione quod verbum כרב apud Aramaeos *arandi* vim habet, minime probatur. —

5) Qua re deo omnia ex adverso posita esse, eumque facile ubivis adesse posse significatur. —

dextram aut sinistram pergere possent (Ez. I, 9. 12. col. X, 11), quaternis faciebus ad quatuor coeli plagas directis opus habebant. Hac igitur ratione Ezechiel eo adductus est ut Cheruborum capita quaternis faciebus instrueret. Qua figurae immutatione constituta, quid mirum quod quaternas facies non eiusdem generis esse, sed unamquamque singularem speciem praebere voluerit? Profecto non sine causa istas potissimum quatuor animantium facies delegit. Novo imaginis lineamento novam quandam rationem symbolicam subiicere placuit. De qua hoc loco nondum disserendum est. Nunc nobis sufficit quod quatuor animantium formas etiam apud Ezechielem non ad propriam Cheruborum naturam pertinere, sed manifestis de causis imagini a maioribus traditae quasi superinductas esse cognovimus. Cave igitur ne eas ex visione Ezechielis in Cherubos tabernaculi Mosaici et templi temere transferas. — Quod ne facias ea quoque re dissuadetur quod in vehiculis aeneis in atrio templi Salomonis collocatis, quibus labra aenea erant imposita, non solum Cheruborum, sed etiam leonum et boum imagines caelatas fuisse legimus (I. Reg. VII, 29. 36.). Vix, ut mihi quidem videtur, leones et boves seorsum adiuncti essent, si in Cherubis eorum forma conspicua fuisset. —

Iam vero intellexeris quam infirmo nitatur fundamento *Baehrii* aliorumque qui eum subsecuti sunt, sententia, qua Cherubos simulacra animantium esse voluerunt, summa vi vitali, omnibusque praestantissimorum, qui re vera exstant, animantium viribus praeditorum; quos mundum a deo creatum repraesentare et divinae maiestatis in universitate rerum patefactae praecones esse perhibent[6]). Nil habent quo hanc sententiam comprobent, nisi quod compositionem e quatuor animantium formis ad propriam Cheruborum naturam pertinere putant[7]). Quo errore convicto tota res vacillat et claudicat. — Accedit quod qui hanc sententiam comprobant neque probabilem causam indicare possunt, cur Cheruborum simulacra in sanctuarii adyto, imo in arcae sacrae operculo, i. e. in ipso dei solio collocata fuerint, neque singula quae de eorum figura et habitu commemo-

---

6) cf. *Baehrium* l. l. pag. 340 sqq. Der Tempel Salomos pag. 113 sqq.

7) Nam argumentum inde repetitum quod Ezechiel Cherubos חיות nuncupavit, ipse *Baehrius* qui eo usus est, irritum esse postea concessit; cf. D. Tempel Sal. pag. 113. —

rantur, quam habeant rationem satis perspiciunt. Nam quod Cherubi virtutis et maiestatis divinae in rerum universitate patefactae praecones esse feruntur, num satis causae est, cur animantes creati in solium divinum evehantur, et necessitudine quadam ei adiuncti videantur? Deinde quaerere licet quapropter Cherubi alis sursum expansis operculum arcae sacrae texerint (Ex. XXV, 20)? nec non quamobrem Cheruborum simulacra in adyto templi a Salomone exstructi collocata alis ab uno pariete ad alterum extensis totam adyti latitudinem occupaverint (I. Reg. VI, 27. II. Chron. III, 11 sqq.)? Quae ad interrogata *Baehrius* nihil omnino habet quod respondeat. Denique ut alia omittamus locum Gen. III, 24. perverse interpretari opinione praeiudicata coactus est. Nequaquam homines a paradiso et arbore vitae prohibere Cheruborum fuisse dictitat, sed hominis loco, eiusque vicibus fungentes (Gen. II, 15.) horti paradisiaci incolas et custodes a deo eos esse constitutos[8]). Qua in re miror virum inprimis acutum non vidisse, hoc loco non agi de horto sed de aditu ad arborem vitae custodiendo, totumque versum manifesto ad dei consilium spectare, quo ne immortalitatis bonum homo arriperet, praecavendum reputavit; quod coll. verbis לשמר את־דרך עץ החיים cum vv. 22. 23. negari nullo modo potest. — Sed haec hactenus! Iam, omissis aliorum sententiis, ad instituta pergamus!

Librum Exodi evolventes, tabernaculum sacrum tribus in locis Cheruborum imaginibus adornatum fuisse videmus. Primum imagines Cherubinae aulaeo byssino erant intextae (Ex. XXVI, 1. XXXVI, 8.), quod ita tabulato impositum fuisse, ut extrinsecus dependeret, mihi quidem exploratum est. Quare, tribus aliis tegumentis superimpositis, solo in tabernaculi tecto imagines illae videbantur. Tum velum adyti introitum praecludens itidem intextis imaginibus Cherubinis erat ornatum (Ex. XXVI, 31. XXXVI, 35.). Postremo in adyto ipso duo aurea Cheruborum simulacra supra arcae sacrae operculum, ab utraque

8) *Baehrium* Symb. I. pag. 346 sq. 350 sq.

eius extrema parte eminebant; quorum descriptio, Ex. XXV, 18—20. col. Ex. XXXVII, 7—9. exstans, paucis hisce absolvitur verbis:

„(V. 18) Et duos Cherubos aureos facies; tornatos (מקשה) eos facies, ab utraque extrema eius (operculi) parte. (V. 19) Cherubum alterum hinc, Cherubum alterum illinc in parte extrema facies; ex ipso operculo eminentes (מן־הכפרת) Cherubos facietis in utraque eius extrema parte. (V. 20) Et Cherubi *alas sursum expandant, tegentes alis suis operculum;* faciebus autem alter alteri advertatur; ad operculum Cheruborum facies conversae sint."

In templo a Salomone exstructo amplior Cheruborum exstabat ornatus. Primum in atrio interiori (החצר הפנימית I. Reg. VI, 36. VII, 12), quod etiam atrium sacerdotum (חצר הכהנים II. Chr. IV, 9) nuncupatur, decem vehicula aenea collocata erant, labris aeneis impositis in quibus carnes viscerave victimarum abluebantur (II. Chron. IV, 6); vehiculorum autem abaci (מסגרות) imaginibus caelatis, hic leonum, boum, Cheruborum, illic Cheruborum, leonum, palmarum erant ornati (I. Reg. VII, 29. 36). Deinde et valvis ipsius templi ostium praecludentibus (I. Reg. VI, 35), et omnibus internis templi et pronai parietibus tabulatis (I. Reg. VI, 29. II. Chron. III, 7), et adyti foribus (I. Reg. VI, 32) Cheruborum, palmarum, florum dehiscentium caelaturae insculptae et auro obductae erant. Singulae scilicet palmae singulis Cherubis interpositae fuisse videntur (coll. Ez. XLI, 18—20). Praeterea velo quo adyti ostium, foribus patentibus, obvelabatur, imagines Cherubinae erant intextae (II. Chron. III, 14)[9]. Postremo in ipso adyto Salomo Cherubos duos maximos constituendos curavit, qui I. Reg. VI, 23—28 hisce verbis describuntur:

„(V. 23) Et in adyto duos Cherubos e ligno oleastri fecit; quorum altitudo denum cubitorum erat. (V. 24) Quinque cubitorum erat una Cherubi ala, et quinque cubitorum altera Cherubi ala, ut decem cubiti essent ab huius alae extrema parte usque ad illius alae partem

9) cf. quae *Thenius* in comment. in ll. Reg. de loc. I. Reg. VI, 21 disputavit.

extremam. (V. 25) Et decem cubitorum erat alter Cherubus; eadem mensura eademque forma utriusque Cherubi erat. (V. 26) Altitudo unius Cherubi decem cubitorum erat; et pariter alterius Cherubi. (V. 27) Et collocavit hosce Cherubos in media aede interiori; *et expandebantur Cheruborum alae ut alterius ala parietem tangeret, et alterius Cherubi ala alterum parietem, alaeque in mediam aedis partem directae mutuo sese contingerent.* (V. 28) Et obduxit Cherubos auro."

Descriptioni re et fere verbis concinenti II. Chron. III, 10—13 verba subiecta sunt:

„insistebant autem (Cherubi) pedibus suis, et facies eorum ad aedem exteriorem (לבית) conversae erant"[10]).

Quo consilio Salomo hosce Cherubos in adyto constituendos curaverit locus I. Reg. VIII, 6. 7 (coll. II. Chron. V, 7. 8) hisce verbis declarat:

„(V. 6) Et intulerunt sacerdotes arcam foederis Iehovae in locum suum, in adytum aedium, in sacrosanctum, *sub Cheruborum alas.* (V. 7) Nam Cherubi *extendebant alas ad arcae locum et tegebant* (ויסכו, II. Chr. ויכסו) Cherubi *arcam eiusque vectes desuper.*"

Duo igitur Cheruborum paria in adyto templi exstabant, alterum aureum, in arcae operculo collocatum et cum arca huc translatum, alterum e ligno oleastri confectum, auroque obductum, corporis magnitudine insigne, iuxta arcam in solo collocatum, totamque arcam alis suis obtegens. —

---

10) *Thenius* l. l. pag. 78 vocabulum לַבָּיִת „introrsum" denotare, et Cheruborum facies, alteram alteri, adversas fuisse putat. Sed sane erravit vir doctus. בַּיְתָה scribendum fuisset (cf. e. c. I. Reg. VII, 25); nec hoc quidem verbum satis planum et distinctum esset. לַבָּיִת autem (articulum respicias) nil declarare potest, nisi „ad aedem." Iam vero totius templi, quod הַבַּיִת nuncupari solet, hoc loco mentionem fieri non posse perspicuum est. Quare vocabulo הַבַּיִת hic, angustiori notione, aedem exteriorem (הֵהיכָל I. Reg. VI, 5; oppos. הדביר s. הבית הפנימי I. Reg. VI, 27. VII, 50) denotari statuendum est, ut I. Reg. VI, 17 (Vulg: ad exteriorem domum). —

Veteris Testamenti locos huc pertinentes persecuti iam quid de Cheruborum *figura* statuendum sit quaeramus. De qua perpauca tantum commemorata videmus. Binis alis et singulis faciebus eos instrnctos fuisse manifestum est. De ipsius corporis figura nullum fere verbum. Illud tamen exploratum habeto Cherubos neque more Sphingium aegyptiacarum aut leonum boumve alatorum et capite humano ornatorum, quales effingi Assyriorum erat mos[11]), incubuisse arcae sacrae operculo, neque omnino quadrupedum formae fuisse. Etenim quum totius operculi longitudo duorum tantum cubitorum et dimidii sit, atque inter Cherubos divino numini ubi manifesto appareat locus relinquendus sit (quamobrem etiam atque etiam Cherubi in extremis operculi partibus exstitisse commemorantur) spatium non habebis satis idoneum quo cubantes quadrupedes collocare possis; nisi forte hosce Cherubos perexiguos fuisse putaveris, quod, v. 22 ratione habita, vix admittendum videtur. Praeterea quo modo quadrupedes, in extremis operculi partibus collocati, et faciebus alter alteri adversi, operculum alis sursum expansis obtegere potuerint vix intelligitur. Quare *erecta* potius *et celsa* eorum corpora putanda sunt. Quod Cheruborum Salomonis iussu effictorum descriptione comprobatur. Quos erectis pedibus stantes (II. Chron. III, 13 והם עמדים על־רגליהם)[12]) in denum cubitorum altitudinem eminuisse legimus.

Quae quum ita sint, *alatorum hominum* figuram Cherubos habuisse statuendum videtur. Nam alitum immanium formae eos fuisse vix putaveris. Quo posito et concesso iam non miraberis quod scriptores sacri de Cheruborum figura perpauca tantum notanda arbitrati sint, et facierum atque pedum, non addita ratione quales fuerint, mentionem faciant. Praeterea sententia nostra Ezechielis testimonio confirmatur qui, quamvis, ratione supra exposita adductus, Cherubos quaternis variorum animantium faciebus, atque pedum plantis vitulinorum similibus instruxerit, tamen diserte humanae formae eos fuisse profitetur (Ez. I, 5

---

11) Imagines pictas eorum in operibus *Layardi* invenies; cf. e. c. The Monuments of Nineveh. Lond. 1849. Pl. 3. 4. 8. A Second Series of the Monuments of Nineveh. Lond. 1853. Pl. 3. 68.

12) Quae verba alias non usitata nisi ubi de hominibus agitur, quid sibi velint coll. locis Ez. II, 1. 2. c. I, 28; III, 24. c. v. 23; XXXVII, 10; Zach. XIV, 12; II. Reg. XIII, 21; I. Chron. XXVIII, 2. intellexeris.

וזה מראיהן דמות אדם להנה). Accedit Saraphorum analogia (Ies. VI, 2 sqq.) qui quin alatorum hominum formam habuerint dubitari vix potest[13]).

Restat ut nonnullorum (*Baehrii*, *Thenii*, *Keilii* al.) opinionem qui Cherubos in arcae sacrae operculo collocatos statu deum adorantium effictos esse voluerunt breviter absolvamus. Verbis scilicet: „ad operculum Cheruborum facies conversae sint“ (Ex. XXV, 20: אל־הכפרת יהיו פני הכרבים) declarari putant Cherubos, capite demisso, divino numini in operculo patefacto debitum cultum tribuisse. *Thenius* praeterea (l. l. pag. 77 sq.) eos, genibus flexis deum veneratos esse perhibet; quam sententiam ea re comprobari putat quod Cherubi Salomonis iussu effieti pedibus suis institisse diserte commemorantur (II. Chron. III, 13). Qua re indicari dictitat, Cherubos in arcae operculo collocatos *non* erectis pedibus stantes effictos fuisse. — Sed haec ne argutius quam verius disputata sint ipse viderit. Certe, si re vera Cherubi genibus flexis operculo impositi essent, a scriptore sacro hoc commemoraretur; ut taceam quod genua flexa nimium spatium occupaverint. — Verbis autem „ad operculum Cheruborum facies conversae sint“ non satis distincte capita demissa describuntur; neque sola capitis demissio ad deum adorantis habitum pertinet, sit licet poenitentis (cf. Jesai. LVIII, 5). Imo idem declarant verba quod superiora: „faciebus autem alter alteri advertatur;“ et subiecta sunt quoniam omnia huc redeunt ut Cheruborum facies ad locum ubi deus patefieret convertendas esse quam diligentissime praeciperetur. Quare Cherubos deum adorantium speciem praebuisse non est statuendum.

13) Eandem sententiam, probatam traditione rabbinica (quam aliunde non repetendam esse, nisi ex prava Rabbinorum vocabuli כרבים etymologia vix crediderim) ex nostrae aetatis viris doctis *Thenius* (l. l. pag. 78), *Keilius* (Handbuch d. bibl. Arch. I. pag. 86 seq.), *Kurtzius* (in *Herzogii:* Realencyclopaedie für prot. Theol. u. Kirch. II. 651) al. profitentur. De traditione rabbinica cf. *Joh. Buxtorfii* fil. historiam arcae foed. in eius Exercitt. ad hist. bibl. Basil. 1659 pag. 99 sqq. — An si verum assecuti sumus, cum Hebraeorum Cherubis alati homines conferendi sint, quorum bini, alter alteri ex adverso positi, in Aegyptiorum et Assyriorum monumentis crebro conspiciuntur (cf. *Layard:* The Monuments etc. Pl. 6. 7. 8. 35. 50; Description de l'Egypte. Antiquités II. Pl. 35, 7. 85, 2. 87, 7. 92, 2. IV. Pl. 24, 2. et *Thenium* l. l. pag. 76 sq.) alii videant. —

Cheruborum figura, quoad fieri potuit, adumbrata iam quod maxime quaeritur, *quid sint Cherubi* et *quae ratio symbolica* illis tabernaculi et templi ornamentis *subsit* investigare studeamus. Hoc sane si singulos locos ubi eorum imagines exstabant reputaveris, facile perspicies *divini numinis praesentiae testes eos fuisse atque praecones*[14]). Tabernaculum enim et templum esse dei in medio populi sui habitantis domicilium monstrabant. Quam ob rem in tabernaculo aulaeum byssinum, *quod ipsum* המשכן i. e. *dei habitaculum nuncupatur* (Exod. XXVI, 1. 6. 7. 13. XXXVI, 8. 13), velumque adyti ostium praecludens, atque inprimis adytum ipsum, et is quidem eius locus *ubi deus se Mosen conventurum et cum eo colloquturum esse pollicitus erat* (Exod. XXV, 22. Lev. XVI, 2. Num. VII, 89. XVII, 19), operculum dico arcae sacrae impositum, Cheruborum erant propriae sedes. Eademque erat ratio dispositorum in Salomonis templo Cheruborum, ita tamen ut stabile hoc et perpetuum dei habitaculum ampliore Cheruborum ornatu tabernaculo illo praestaret. Quare etiam valvae exteriores et pronai parietes Cheruborum imaginibus ornati erant, atque adytum novo Cheruborum pari ad maiores templi dimensiones accommodato instructum. Denique ad templi Salomonis exemplum etiam templi Ezechieliani et in valvis et internis in parietibus illi praesentis dei exstant praecones (Ezech. XLI, 18—20. 25). —

Quali vero ratione Cherubi praesentis dei testes constituti sunt? Num archangelos eos habeamus, agminis coelestis principes ducesque, quos deum manifesto apparentem prosequentes Hebraei cogitaverint[15])? Quod ut statuas facile adducaris si epitheton ישב הכרבים cognomini divino יהוה צבאות adiunctum videris (I. Sam. IV, 4. II. Sam. VI, 2. Jes. XXXVII, 16). Sed obstant gravissimae rationes. Nam ubique Cherubi ab angelis plane distinguuntur. Nec usquam angelus alis instructus in Vetere Testamento invenitur; ubicumque angeli, dei filii (בני־ האלהים Gen. VI, 2. Hiob I, 6 al.) certa et definita forma comparent, puram praebent hominis speciem, eiusque ad dei imaginem creati; quod idem ad agminis coelestis principem pertinet (Jos. V, 13 sqq.).

---

14) Id eorum qui in hac quaestione versati sunt, neminem fere fugit. —
15) Talem sententiam nuper *Keilius* l. l. I. pag. 113 sq. professus est.

Quod autem gravissimum est, sententia illa comprobata ne singularum quidem rerum quae de Cheruborum statu atque habitu commemorantur iustae rationes indicari possunt. —

Alas Cheruborum, quibus angeli carent, inprimis notabiles esse nemo non videt. Iam vero alae celerrimi motus et longe lateque excurrentis, atque inprimis de coelo in terram descendendi, indeque illuc ascendendi significant facultatem, quae significatio ex ipsa rerum natura, id est a volucribus coeli (עוף השמים) est repetita. Quare saepius *vento*, quod summa celeritate et agilitate fertur, alae tribuuntur (cf. כנפי־רוח Ps. XVIII, 11. [II. Sam. XXII, 11.] CIV, 3. Hos. IV, 19); atque etiam *aurorae* (כנפי־שחר Ps. CXXXIX, 9), quae exoriens ab extrema terrae ora brevi tempore sursum, ut ita dicam, in coelum subvolare videtur[16]). Inde etiam illud intelligitur: „divitiae sibi facient alas; aquilae instar volabunt in coelum". (Prov. XXIII, 5), quibus verbis divitiae non secus ac celerrimo volatu tam procul auferri dicuntur, ut brevi oculorum aciem effugiant. Praeterea locos Ps. LV, 7. Jes. LX, 8. — Deut. XXVIII, 49. II. Sam. I, 23. Apoc. XII, 14. — Jer. XLVIII, 40. XLIX, 22. — Ex. XIX, 4. Deut. XXXII, 11. — Sach. V, 9. conferre iuvabit. — Alarum notionem symbolicam modo expositam quum reputaveris, eorum sententiam[17]) qui Cherubos animantes esse statuerunt *quibus supersedens deus de coelo in terram descendere, indeque illuc ascendere, atque omnino quoquo voluerit ferri putaretur* nequaquam reprobabis. Imo loci Ps. XVIII, 11. (II. Sam. XXII, 11.) Ez. XI, 22 sqq. coll. c. I, 19 sqq. X, 16 sq. 18 sq. haud dubium relinquunt quin revera hoc fuerit Cheruborum munus. —

Iam qua ratione Cherubi praesentis dei testes et praecones esse potuerint intelligimus. Sed cave ne quaestionem expeditam putes. Etenim fieri non

---

16) Id esse tertium quod dicitur comparationis mihi quidem videtur. Sicut avis procul profugiens a solo evolat, ita poeta a solo evolantem, et ab ultimo oriente ad extremum occasum profugientem sese effingit (cf. Ps. LV, 7). Iam quum oriens propria aurorae sit sedes quae ipsa exoriens, avis instar, a terrae solo sursum subvolat, poetarum breviloquentia usus, alas quibus a terrae solo sese levet tribuit ipsi aurorae. —

17) E. c. *Ewaldi* (Die Propheten des Alten Bundes II. pag. 220 sq. D. Alterthümer pag. 139), *Knobeli* (D. Bb. Exodus u. Leviticus pag. 265) al.

potest ut hanc rationem secutus, Cherubi operculo arcae sacrae impositi, et a Salomone iuxta arcam in solo collocati quid sibi velint plane perspicias. Cur ministros numen divinum vectantes in dei solium evectos videmus? Quid? quod deum non *supra* Cheruborum alas — quod sane rationi illi consentaneum esset — patefieri legimus, sed *inter* duos Cherubos (Ex. XXV, 22. Num. VII, 89)? Cur Cheruborum, quos Salomo in templi adyto constituendos curavit, alae ab uno pariete ad alterum extensae totam adyti latitudinem occupant? Denique vero, id quod gravissimum est, cur etiam atque etiam Cherubi operculum arcamve sacram alis suis obtexisse memorantur (Exod. XXV, 20. XXXVII, 9. I. Reg. VIII, 7. I. Chron. XXVIII, 18. II. Chron. V, 7 sq.)? Nonne ea re alius alarum quibus Cherubi instructi sunt finis et usus diserte indicatur? *Loca sacra obvelare et obumbrare, res sacras obtegere Cheruborum munus videtur fuisse.* Quod ut statuamus etiam, inspecto loco Ez. XXVIII, 14 sqq., adducimur, ubi rex Tyrius cum Cherubo in monte sancto dei commorante et in medio lapidum ignitorum ambulante comparatur qui provinciam suam, vocabulo „sanctuaria" (מקדשיך v. 18) nuncupatam, protegit; ubique nomini כרוב epitheton הסוכך adiunctum bis legitur[18]. —

Sed ut perspiciamus qua ratione hoc Cheruborum munus contineatur cum illo de quo supra exposui, iam quid spectent alae operculum arcae sacrae obtegentes diligentius quaerendum videtur. Qui hucusque ad hanc quaestionem animum attenderunt plerique arcam sacram et legum tabulas in ea asservatas, utpote thesaurum sacrosanctum, custodire Cheruborum fuisse statuerunt; qua ratione symbolica significari opinantur quanta cura deus ipse pro incolumitate et auctoritate legis promulgatae vigi-

18) Emendationibus huius loci a *Hitzigio* propositis, quantum equidem iudicare possum, nequaquam opus est; sed in v. 14 aut ונתתיך aut היית supervacaneum videtur. Verba autem כְּרוּב מִמְשַׁח, punctis paullulum immutatis, coniungenda sunt; et nomen מִמְשַׁח idem valet quod מִשְׁחָה l. Lev. VII, 35 et מָשְׁחָה Num. XVIII, 8, sc. „demensum, portio demensa". כְּרוּב מִמְשַׁח Cherubum denotat cui certae provinciae assignata est custodia. Inusitata pronominis masculini 2. pers. forma אַתְּ etiam Num. XI, 15. Deut. V. 24 legitur; et forma וָאַבֶּדְךָ (v. 16) ex וָאֲאַבֶּדְךָ contracta, et verbis ואחללך (v. 16), ואוצא, ואתנך (v. 18) congrua, non est suspecta (cf. *Ewaldum:* Ausf. Lehrb. der hebr. Spr. ed. sept. pag. 158. *Olshausenium:* Lehrb. d. hebr. Spr. pag. 68. 142. 544).

let[19]). Nec desunt argumenta quibus hanc sententiam probari putaveris. Saepissime deus similitudine a gallina et aliis avibus repetita, quae fovendis et regendis suis pullis alas extendunt, homines pios sibique familiares in umbra alarum suarum abscondere sive alis suis protegere dicitur, qua re quam diligente cura et amoris plena eos tueatur, iisque consulat declaratur (cf. Ps. XVII, 8. XXXVI, 8. LVII, 2. LXI, 5. LXIII, 8. XCI, 4. Ruth II, 12. Mal. III, 20[20]). Matth. XXIII, 37). Praeterea conferri potest quod Jer. XLVIII, 40. XLIX, 22 Nebucadnezar rex aquilae instar advolans alas suas super Moabum et Bozran expandere dicitur; informatur enim terra Moabitica et Idumaea tamquam praeda potiturus. — Sed ut taceam neutram analogiam ad sententiam illam comprobandam satis esse idoneam, omnino non est dubium quin Cheruborum alae expansae et operculum obtegentes non ad arcam sacram et legum tabulas pertineant, *sed ad ipsius dei manifestationem.* Respicias quaeso quod Cherubi tabernaculi Mosaici non arcam sacram, sed *operculum* (על־הכפרת) alis suis obtexisse dicuntur (Ex. XXV, 20. XXXVII, 9), additis continuo verbis (Ex. XXV, 22): „et ibi te conveniam et tecum loquar de loco qui erit supra operculum (מעל הכפרת) *et inter duos Cherubos*, super arcam testimonii collocatos, quaecumque filiis Israelis per te praecepturus sum". Nonne manifestum est, eo consilio Cherubos alas sursum expandisse ut locum ubi deus patefieret obumbrarent[21])? Quid? quod reliquae Cheruborum imagines in aulaeo byssino, in velo adyti ostium praecludente, in templi parietibus, valvis, foribus internis conspicuae non ad arcam sacram custodiendam, sed ad ipsius dei manifestationem spectant, — id quod omnium assensu approbatur? Nec Cheruborum quos Salomo in templi adyto collocandos curavit status atque habitus *arcae sacrae* custodibus convenit. —

---

19) Cf. *Ewaldum* (Alterthümer pag. 139), *Knobelum* (Exod. u. Levit. pag. 265. Jesaias p. 272), *Thenium* (l. l. p. 79), quos iam *Abarbenel* praegressus est (cf. *Buxtorfium* l. l. p. 104).

20) Perperam commentatores e. c. *Hitzigius*, *Ewaldus* soli (iustitiae) propter cursus celeritatem h. l. alas tributas esse statuerunt.

21) Iam intelliges et quam ob rem ut Cherubi ex ipso operculo eminentes (מִן־הַכַּפֹּרֶת) efficerentur, h. e. ita ut de operculo tolli nequirent, diserte sit praeceptum, et cur omnino Cherubi in solium divinum evecti sint.

Iam si Cheruborum alae sursum expansae et operculum obtegentes ad ipsius dei manifestationem spectant, certe coll. l. Exod. XXV, 22 (מבין שני הכרבים) statuendum est, *iis praesentis dei quasi tugurium* (סככים cf. סֻכָּה) *effectum esse*[22]). Quare usitatum illud ישב הכרבים (I. Sam. IV, 4. II. Sam. VI, 2. II. Reg. XIX, 15. Jes. XXXVII, 16. Ps. LXXX, 2. XCIX, 1. I. Chron. XIII, 6), quod deum *in medio populi sui habitantem* denotat, non, ut solent, „Cherubis supersedens", sed „Cherubos inhabitans" reddendum est, quod etiam rationi grammaticae et loquendi consuetudini magis convenit; aptum sane cognomen et rerum naturae consentaneum, quum Cherubi ab utroque dei latere collocati et alis operculum obumbrantes praesentem deum ad instar tugurii complectantur[23]).

Ut sententiam meam prorsus aperiam: tugurio Cheruborum alis effecto *horrendus dei patefacti splendor ita continetur, obducitur, temperatur, ut pro animantium creatorum et inprimis humanae naturae infirmitate ferri possit.* Quod luculentissimis testimoniis probari potest. Etenim exstant loci qui quoties deus patefactus tugurio illo, sive modo ingressurus, sive emigraturus, sese non contineret, totum sanctuarium ita splendore divino et mira illa nube, alias inter duos Cherubos definita (Lev. XVI, 2), impletum esse docent, ut sacerdotes ibi permanere non possent (I. Reg. VIII, 10 sq. Ez. X, 3. 4. II. Chron. V, 13 sq. cf. Ex. XL, 34 sq.). — Praeterea congruit cum sententia nostra quod Salomo Cherubos suos manifesto eo consilio in templi adyto collocandos curavit, ut non solum arcam sacram, quippe cui solium divinum impositum erat, obumbrarent, sed etiam *totum adytum* alis ab uno pariete ad alterum expansis *obvelarent*. Quam ob rem et ipsae facies ad aedem exteriorem conversae erant; nam adyti obvelatio ad aedem exteriorem spectabat, quum aliunde nemo ingredi et introspicere posset. — Iam *reliquis* Cheruborum *imaginibus* in tabernaculo temploque conspicuis eandem rationem non alienam fuisse affirmaverim, ita ut non solum divini numinis praesentiam indicarent, sed etiam maiestatis divinae splendorem pro humanae naturae in-

---

22) Id iam *R. Levi ben Gerson* (cf. *Buxtorfium* l. l. p. 104) et *Spencerus* (l. l. p. 867. 869) atque *Zuelligius* (D. Cherubimwagen u. d. Jehovathron, Heidelb. 1832. Comment. zur Apocal. II. pag. 30) suspicati sunt.

23) Cf. *Spencerum* l. l. pag. 869.

firmitate obtectum et temperatum esse significarent. — Quae quum ita sint, Cherubos *animantes* habemus *quorum opera deus manifesto appariturus horrendum suum splendorem, ne hominibus exitiosus sit, cohibere et obtegere, et quibus supersedens de coelo in terram descendere et quoquo voluerit ferri putabatur.* —

Iam si verum assecuti sumus ratio symbolica quae Cheruborum ornamentis subest, si non tota, tamen magna ex parte ad doctrinam illam in Veteris Testamenti libris etiam atque etiam exhibitam referenda est, qua homines mortales aspectum et viciniam pleni et integri numinis divini splendoris ferre non posse docetur. Quam ob rem ubique deus patefactus aliquo tegumento velatus inducitur. Inprimis *nubes* huc pertinet, qua velatus deus patefieri solet; quam analogiam praeclaram secuti omnia quae in Veteris Testamenti libris de Cherubis memorantur penitus perspiciemus. —

Sicut deus omnino nubibus et densa caligine (ענן וערפל) tanquam tugurio undique cinctus esse dicitur (Ps. XCVII, 2. Hiob XXII, 13 sq. XXXVI, 29), ita praesertim, ubicumque manifesto apparet, haud fere aliter ac *nube velatus* inducitur. Quod inprimis ad aetatis Mosaicae historiam pertinet, ubi deus *densa et caliginosa nube velatus* in montem Sinaiticum descendisse et cum Mose populoque collocutus esse (Ex. XIX, 9. 16. XXIV, 15—18. Deut. IV, 11. V, 19), et alias quoque *nube amictus* comparuisse (Ex. XVI, 10. XXXIV, 5. Num. XI, 25) refertur; item *in nubis columna* Israelitas, desertum permigrantes, dux itineris per diem praecessisse (Ex. XIII, 21 sq., XIV, 19 sqq. Num. XIV, 14. Deut. I, 33. Ps. LXXVIII, 14. Neh. IX, 12. 19), et in ostio tabernaculi comparens decreta sua exposuisse (Exod. XXXIII, 9 sq. Num. XII, 5. 9 sq. Deut. XXXI, 15. Ps. XCIX, 7) perhibetur; atque etiam *nube* tabernaculum splendore suo completum obtexisse (Ex. XL, 34 sqq. Num. IX, 15 sqq. X, 11 sq. 34. XVII, 7) et *nube indutus* supra operculum patefactus esse (Lev. XVI, 2) traditur. Itidem splendor divinus, templum replens, *mira illa nube* continetur (I. Reg. VIII, 10 sq. II. Chr. V, 13 sq. Ez. X, 3 sq.). Nec in praeclara theophaniae descriptione, quae Ps. XVIII. exstat, *nubium et caliginis* velamentum deest (cf. v. 10. 12). —

Quod nubium velamentum quamvis dubitari non possit quin potissimum ad horrendum divini numinis splendorem spectet ita ut ferri possit temperandum, tamen ita comparatum est, ut dei maiestati, coeli terraeque creatoris ac domini, conveniat, atque *praepotens eius virtus et magnificentia timenda, piisque veneranda et impiis terribilis ex eo effulgeat.* Nubes ipsa deum altitonantem monstrat, qui rerum omnium ipsiusque naturae dominus ventis, tempestatibus, nubibus, fulguribus imperat; et nubi, Ps. LXXXI, 8 סתר רעם nuncupatae, nonnunquam tonitrus fragorem fulminumque ignem comedentem (Ex. XIX, 16. 18. XXIV, 17. Deut. V, 19. Ps. XVIII, 13 sqq.) adiunctos videmus, qui cum terrae motibus et procellis alias deum appariturum praecedunt (Ps. XVIII, 8 sq. L, 3. XCVII, 3. Jes. LXVI, 15. I. Reg. XIX, 11 sqq. cf. Nah. I, 3). Saepius vero per noctem nubem fulgoris ignei speciem praebuisse (Ex. XL, 38. Num. IX, 15 sq.), et nubis columnam in columnam igneam commutatam esse legimus. — Nubes igitur splendorem divinum obvelat simul atque oculis subiicit; hinc nubis et splendoris divini arcta copulatio (Ex. XVI, 10. XL, 34 sqq. I. Reg. VIII, 10 sq. II. Chron. V, 13 sq.). — Quae quum ita sint, nubis velamento etiam *ne quis ad deum sacrosanctum propius accedat prohiberi poterat* (cf. locos modo allatos). Nec miraberis quod deus cum *res sanctas*, tum sanctuarium (Jes. IV, 5 sq.) et *populum sibi consecratum* (Num. X, 34. Ps. CV, 39) nube obtecta *tueri et custodire* dicitur, atque nubis columna — id quod maxime memoratu dignum est — Aegyptiorum exercitum a populo suo arcuisse eumque ex ea perturbasse et perdidisse refertur (Ex. XIV, 19 sqq.). —

Iam quae necessitudo Cherubis cum nube illa intercedat manifestum est. Nam illos quoque tugurium quoddam dei patefacti esse et velamentum quo splendor divinus obducatur et temperetur supra compertum habemus. Et deum in monte Sinaitico מתוך הענן (Ex. XXIV, 16) et in tabernaculo מבין שני הכרבים (Ex. XXV, 22. Num. VII, 89) locutum esse legimus. — Quare quae modo de nube exposuimus, et ad ipsos Cherubos pertinere statuemus. Qui quamvis horrendum dei splendorem obvelent tamen etiam magnificentiam eius qui universi mundi est dominus, et praepotentem virtutem patefaciunt. Nam divini numinis vires plerumque cohibitas, quoties deo placuerit, quasi dimittunt ad peragenda eius proposita. Quare *custodum quoque munere fungi possunt, ne quis ad deum*

sacrosanctum, ipso invito, propius accedat prohibentes, et homines profanos arcentes a rebus vel locis deo consecratis. Quod si ita est — id quod brevi apparebit — sine dubio idem munus etiam ad Cherubos in tabernaculo temploque conspicuos pertinet.

Imo *primitus* Cherubos *nihil fuisse nisi* deum apparriturum velantes *nimbos in animantium conformationem constitutos* suspicari licebit. Etenim verisimile est, dei manifestationem supra operculum arcae sacrae exhibitam ei qua mons Sinaiticus insignis est respondisse; nec habes quod cum nube ex qua deus locutus esse refertur, conferas nisi Cherubos. Nubis enim ipsius, deum supra operculum patefactum velantis, semel tantum in Pentateucho (Lev. XVI, 2) fit mentio; neque hoc loco Cherubi memorantur, neque ubi de Cherubis agitur nubes. *Deinde* sicut nubi deum velanti ita Cherubis quoque fulgura adiuncta ipsosque ignito candore splendentes invenimus. *Denique* alterum quoque Cheruborum munus supra expositum, ut deum vectarent, nubibus convenit (Ps. CIV, 3. Jes. XIX, 1. coll. l. Ps. XVIII, 10. Nah. I, 3. Dan. VII, 13). Quid? quod l. Ps. XVIII, 11. (II. Sam. XXII, 11.) Cherubus quo deus tanquam vehiculo ferri et devolare dicitur (וירכב על־כרוב ויעף) nubem vento procelloso agitatam manifesto repraesentat? quod contextus et parallelismi membrorum (וידא על־כנפי־רוח) et loci paralleli Ps. CIV, 3 (השם־ עבים רכובו המהלך על־כנפי־רוח) ratione habita vix negaveris.

Hanc analogiam persecuti videamus quid ad reliqua quae Veteris Testamenti locis de Cherubis praedicantur expedienda effecerimus.

Templum Salomonis quod attinet, restat ut singula quaedam paucis absolvamus. *Palmis* singulis Cherubis interpositis a deo, in medio populi sui habitante, hominibus piis eique familiaribus vegetam et perennem vim vitalem suppeditari, qua vigeant et floreant, indicari videtur (Ps. XCII, 13 sq.); quare apte praesentis dei testibus sunt interpositae. — Cherubinarum autem imaginum, quibus decem *vehicula aenea*, in sacerdotum atrio collocata, ornata erant quae ratio fuerit iam perspicies, quum labris impositis victimarum carnes, ex parte tam sacrosanctas ut eas ne attingere quidem fas esset (Lev. VI, 20 col. v. 11), abluendas fuisse (II. Chron. IV, 6), et ipsa sanctuarii vasa pariter fuisse sacro-

sancta (Ex. XXIX, 37. XXX, 29) reputaveris. Quae vehiculorum sanctitas Cheruborum imaginibus, ratione supra exposita, indicari, et ne quis, praeter sacerdotes, ea attingeret vetari poterat. *Leonum* vero et *boum* imaginibus seorsum adiunctis num certa ratio symbolica subsit in medio reliquerim[24]).

Sed ad graviora pergamus! Iam supra locum *Gen.* III, 24 strictim attigimus, ubi deus ne homo peccator factus hortum paradisiacum repeteret et immortalitatis bonum arriperet, in parte paradisi ad orientem vergente Cherubos et laminam[25]) gladii hac illac se vertentis collocavisse refertur, ut adytum ad arborem vitae custodirent. Quam memoriam a remotioribus orientis terris ad Hebraeos translatam esse num recte a permultis statuatur, hoc loco in medio relinquamus, quum in quaestione quae est de origine totius narrationis (Gen. II. III.), haec controversia sit diiudicanda. Munus certe quod hic Cherubis a deo assignatum esse refertur, a nativa et veterum Hebraeorum propria Cheruborum notione non est alienum. Nam loci sacrosancti *ubi deus aderat* (Gen. III, 8. IV, 13) aditum custodiunt, quemadmodum in velo adyti ostium praecludente, templique valvis conspicui erant, et totum templi adytum alis expansis obvelabant. Porro nubis analogia edocti Cherubos etiam ad arcendos homines a rebus sanctis deoque reservatis adhiberi potuisse iam exploratum habemus. Quod mandatum ut plene exsequi possent, gladius strictus et hac illac se vertens iis est adiunctus.

---

24) *Leonibus* quidem quibus Salomonis solium ornatum fuisse constat (I. Reg. X, 19 sq.), quod summo robore et impavida ferocitate leo est insignis, quare Hebraeorum proverbio „fortis inter bestias“ nuncupatur (Prov. XXX, 30 גבור בבהמה; cf. Mich. V, 8. Jud. XIV, 18), summi imperii vis et maiestas videtur fuisse significata. — Nec sine certa ratione *bobus* duodecim ingens illud vas aquarium, quod mare aeneum nuncupatur, fultum erat (I. Reg. VII, 25. 44. II. Chron. IV, 2 sqq.) quum boves essent praecipuae victimae quas duodecim tribus offerre solebant (Num. VII, 87. Esr. VIII, 35), atque etiam ad transvehendas res sacras adhiberentur (Num. VII, 3. II. Sam. VI, 6. col. I. Sam. VI, 7). Hic vero amborum imagines videntur merum fuisse ornamentum. —

25) De vocabuli להט potestate cf. quae *Hupfeldius* ad l. Ps. LVII, 5 disputavit, per quem edoctus nequaquam hic de igneo gladio agi censeo, qui verbis חֶרֶב אֵשׁ denotandus fuit (cf. e. c. II. Reg. II, 11. VI, 17), nec usquam analogiam habet. Imo etiamsi vocabulo להט flammae notionem vindicare possis, tamen non gladium igneum effeceris, sed laminam gladii, nitore et splendore flammam referentem (cf. Jud. III, 22. Nah. III, 3. Hiob XXXIX, 23).

Cheruborum paradisi aditum custodientium geminus est Cherubus ille quocum l. Ez. XXVIII, 14 sqq. rex Tyrius comparatur[26]). Tertium quod dicitur comparationis non solum in eo cernitur quod rex eximia pulchritudine, sapientia, potestate (v. 3—5. 7. 12. 17) sublimior humana conditione et divinis praeditus virtutibus, deoque proximus videbatur (v. 2. 9), sed in eo potissimum, quod sedem mari cinctam et munitam, ideoque, ut ipsius dei sedes, aditu carentem et ab omni impetu hostili tutam (cf. v. 2 מושב אלהים ישבתי בלב ימים) habebat, a qua hostes, ut Cherubus homines a dei sede, prohibere poterat. Cherubus autem ipse in sancto dei monte (v. 14. 16) versari dicitur, i. e. *in divini numinis sede*, ultimae regioni septemtrionali subiecta (Jes. XIV, 13), quam, tamquam alis super totum sanctuarii (מקדשיך v. 18) ambitum expansis, ei tuendam et protegendam fuisse, epitheton הסוכך (v. 14. 16), a Cherubis in operculo arcae sacrae collocatis repetitum, declarat. Lapidum autem ignitorum, quibus in mediis Cherubus ambulare dicitur (v. 14. 16), qui a monte flammas eructante repetiti videntur, non alia est ratio quam gladii stricti, Cherubis paradisi aditum custodientibus adiuncti. Dei scilicet sedes a Cherubo custodita iis cincta et munita est, ne quis, invito deo et Cherubo, eam ingredi possit.

Restat ut ad currus Cherubini descriptionem, ab Ezechiele ll. I. III, 12 sq. IX, 3. X. XI, 22 sq. delineatam revertamur. Hic Cherubi quid omnino sibi velint plane manifestum est. Altero munere funguntur quod Cheruborum alis pro vulgari alarum notione symbolica indicatum, et l. Ps. XVIII, 11 a Cherubo peractum supra cognovimus *ut deum quoquo voluerit vectarent;* quod et locis III, 12 sq.[27]) X, 18 sqq. XI, 22 sq. col. l. IX, 3 diserte declaratur, et ex arcta Cheruborum copulatione cum vehiculi rotis apparet, illorum spiritu ita agitatis[28]), ut harum motus illorum motibus regantur (I, 15—21. X, 9—17).

26) Quamquam verba v. 13. „in Edene, horto dei eras", praecedentibus et sequentibus non connexa, suspecta sunt; v. 14 demum nova Cherubi similitudo inducitur.

27) Ubi cum *Hitzigio* pro בְּרוּךְ : בְּרוּם legendum esse censeo.

28) Verbis רוח החיה I, 20. 21. XI, 17, contextus et v. I, 22 (על־ראשי החיה) ratione habita, non „spiritum *vitae*" (Hitz.), sed *quatuor animantium*, collective החיה nuncupatorum, spiritum (Chald. Rosenm. Ew.) denotari censeo.

Qua in re imago illa a maioribus tradita ab Ezechiele subtilius exculta et perpolita est. Deus enim iam non solo Cherubo tanquam vehiculo fertur, quemadmodum Ps. XVIII, 11 inducitur. Nec Cherubi iumentorum instar currum vehunt, quod servitium divinae maiestati ipsisque parum conveniret. Sed quatuor sunt Cherubi, quorum super capitibus expansum quoddam (רקיע) ad similitudinem coeli institutum conspicitur, quo divinae maiestatis solium impositum est (I, 22. 25. 26. X, 1), ita ut ipsi, adiunctis rotis eorum spiritu agitatis, tensam quandam animatam efficiant (Sir. XLIX, 8: ἐπὶ ἅρματος Χερουβίμ), cuius, commotae quidem (cf. I, 24. 25), capsus ex ipsorum alis constare videtur, sub expanso illo ad volandum ita in rectum extensis, ut singulorum Cheruborum binis alis, hac illac ad alterorum alas pertingentibus, singula quadrati latera efficiantur (I, 9. 11. 23. III, 13). —

In ipsa Cheruborum figura, a maioribus tradita, ab Ezechiele nonnulla mutata esse iam compertum habemus. Singulorum capita, ratione supra exposita adductus, quaternis faciebus, hominis leonis bovis aquilae atque pedes erectos plantis vitulinorum similibus (I, 7) instruxit. Praeterea, Jesaiae Saraphos describentis (Jes. VI, 2) vestigia secutus, alterum addidit alarum par, quo demisso, deum religiose reverentes, corpora sua tegerent (I, 11. 23). Denique membrorum congruentiae caussa quaternas iis tribuit manus humanas (I, 8).

Maximi vero momenti hoc esse videtur quod tota haec Cheruborum descriptio ei sententiae qua, nubis deum velantis analogia nisi, e Cherubis dei splendorem, etsi ab iis obtegatur et temperetur, tamen etiam effulgere statuimus, est argumento. Atra nube, vento procelloso ex septemtrionibus adacta, ignique continuo non solum ipse deus, sed etiam totus currus Cherubinus cingitur (I, 4 sq.); Cherubi autem, in medio igni versantes, sicut deus ipse, aeris liquefacti candore splendent (I, 4. 7. col. v. 27. VIII, 2), toti, taedarum instar, flammantes ac scintillantes (I, 13 sq.), ita ut celerrime ultro citroque se commoventes fulguribus possint comparari (I, 14)[29]). Etiam medios inter Cherubos ignis flagrat, ab iis profectus et fulmina emittens (I, 13. X, 2. 6 sq.). Dubitari sane non potest quin ipsius dei splendor et fervidus ardor ex hac Cheruborum specie

---

29) Ubi, *Hitzigium* secutus, pro רצוא : יצוא et pro הבזק : הברק legendum esse censeo.

fiat conspicuus. Quod ea re comprobatur quod prunis e Cheruborum medio depromptis et super Hierosolyma sparsis poenae significantur a deo in hanc urbem constitutae (X, 2. 6 sq.). — Porro Cheruborum alae fragorem volatu edunt horrendum, *altitonantis dei voci* assimulatum (I, 24. III, 12 sq. X, 5). — Praeterea oculorum copia huc pertinet, qua tota Cheruborum corpora, et terga et manus et alae, atque etiam externae rotarum curvaturae undique obsitae fuisse dicuntur (I, 18. X, 12). Qua re sine dubio divina quaedam perspicacitas quam nulla res, ubicumque versetur, effugere possit (cf. Sach. IV, 10. II. Chr. XVI, 9), et perpetua vigilantia (cf. Ps. CXXI, 4) qua Cherubi munus suum exsequantur, significatur. — Denique illud quoque quod Cherubi quaternis faciebus instructi, sese non vertentes progredi, regredi, ad dextram aut sinistram pergere possunt, divinum quoddam monstrat; hoc dico: omnia, sicut ipsi deo, iis ex adverso posita esse. Quae omnia nequaquam mira videntur, quum viribus tantum naturae divinae instructi Cherubi digni atque idonei esse potuerint, qui ipsum deum quoquo voluerit vectent. —

Iam vero quaeritur num *singulares quoque facierum species a quatuor animantibus repetitae* ad singulas divinae naturae virtutes Cherubis impertitas, vel per eos significatas referendae sint. Quod mihi quidem videtur fieri vix posse. Bovis certe facie qualis dei virtus significari possit non perspicitur. Nam bovis symbolo, ut in Aegyptiorum superstitione atque Ephraimitarum vituli aurei cultu, a prophetis acerrime improbato, procreandi vel potius creandi vim significari, vel. etiam, quod Molochi simulacrum apud Carthaginienses bovis capite instructum fuisse constet, creandi et perdendi potestatem, *Hitzigio* vix quisquam crediderit; neque aquilae facie divinae naturae vigorem perpetuum significari credibile est[30]). Sine dubio quae quatuor animantium faciebus significentur aliqua ratione ad munus a Cherubis peractum pertinere oportet. Et *hominis* quidem facies Cheruborum propria iam antiquitus habebatur; sunt enim animantes praediti ratione ac mente, quibus homo caeteris qui in terra versantur animantibus praestat; neque, nisi ratione utuntur deum vectandi munere fungi possunt. Quamobrem non solum facie humana instructi, sed etiam omnino humana corporis

30) Cf. quae *Hitzigius* in comment. in Ezech. l. pag. 16 sq. disputavit.

figura praediti ab Ezechiele inducuntur. — Tres vero reliquae facies a praestantissimis atque validissimis bestiis ex tribus animantium in terra et aere versantium generibus ferarum et pecudum et avium (חית הארץ s. חית השדה, בהמה, עוף השמים Gen. II, 20. IX, 10 coll. l. Gen. I, 24. Lev. XXV, 7) repetitae videntur. Sed cave ne, ex prima fronte re diiudicata, vera te fugiat harum facierum ratio. *Leonem*, ferarum principem, perusitatum esse summi roboris et metuendae atrocitatis, aeque ac summi imperii symbolum, ideoque ipsum deum nonnunquam leoni esse assimulatum (Hiob X, 16. Jes. XXXVIII, 13. Hos. V, 14. XIII, 7 sq.) constat. Quare leonina potissimum facies humanae adiungenda erat, quum Cherubi non solum praepotentem universi mundi dominum vectarent, sed etiam per eos metuenda dei potestas patefieret. — Inter pecudes inprimis *boves* viribus pollent; quare a poetis „validi" (אבירים) nuncupari solent, atque, sicut leones, ad summum robur significandum adhibentur (Deut. XXXIII, 17. Ps. XXII, 13). Quod robur imagine faciei bovinae Cherubis tributum, ad sustinendi potissimum solii divini et vectandi facultatem referendum est; boves enim ad transvehendas res sacras adhibebantur (Num. VII, 3. II. Sam. VI, 6. I. Sam. VI, 7); et boum duodecim memoria quibus mare aeneum fultum erat (I. Reg. VII, 25. 44) Ezechiel sine dubio eo adductus est, ut bovina facie Cherubos instrueret. *Aquilae* denique, aves validissimae (Hos. VIII, 1. Jes. XLVIII, 40. XLIX, 22. Ez. XVII, 3. 7) saepius ad significandam indefessam (Jes. XL, 31) celerrimi (II. Sam. I, 23. Jer. IV, 13. Hab. I, 8. Hiob IX, 26. Thren. IV, 19) et altissimi (Prov. XXIII, 5. Hiob XXXIX, 27) volatus facultatem adhibentur. Quare Cherubis quippe quibus supersedens deus de coelo in terram descendere et hinc illuc ascendere solet, quam ipsam ob rem alis instructi erant, aquilae quoque faciem tribuere Ezechieli placuit[31]). Quaternis igitur faciebus eximiae vires atque facultates significantur Cherubis a deo ad munus suum sustinendum impertitae. — Quae quum ita sint, Ezechielem quaternas Cheruborum facies neque a diis veterum Araborum[32]), neque omnino ab idolorum conformationibus quae ei in Mesopotamia degenti innotuerint, repetiisse, sed rationes symbolicas

---

31) Quaternarum facierum rationem recte *Ewaldius* (D. Prophet. d. A. B. II. p. 220 sq.) exposuit.

32) Cf. *Hitzigium* l. l. p. 17 sq.

apud populares suos inveteratas et notioni munerique Cheruborum convenientes secutum, eorum capita quaternis faciebus instruxisse statuendum est. Illud tamen suspicari licet, Babyloniorum simulacra e variorum animalium formis composita ansam ei praebuisse ut omnino, novi aliquid movens, Cherubis speciem multiformam tribuere conaretur. —

Illud denique dignum videtur quod commemorem, hisce a Cherubis, quamvis vectandi potissimum solii divini munere eos functos esse constet, tamen solii divini custodum partes non fuisse prorsus alienas, viresque divini numinis hominibus exitiosas inter eos fuisse definitas, quas iubente deo quasi dimitterent. Nam prunis e Cheruborum medio depromptis poenas a deo constitutas significari supra commemoratum est. Quas prunas ne angelus quidem caeteros dignitate praestans e medio Cheruborum depromere conatur; sed unus e Cherubis illi eas tradit (X, 6 sq.); qua re ne angelum quidem ad ignis focum a deo accensi (Jes. XXXIII, 14) et inter Cherubos definiti propius accedere posse indicari videtur. — Fortasse dispositionem quoque Cheruborum, solium divinum ab omnibus partibus circumstantium atque oculorum copiam ad custodum partes referre licet, quamvis quin utrumque *potissimum* ad deum vectandi munus spectet (respicias modo rotas oculis obsitas) dubitari non possit[33]. —

Sicut Ezechiel in Cheruborum figura, a maioribus tradita, nonnulla mutavit, ita multis saeculis post *Ioannes* qui librum *apocalypticum* conscripsit quum figuguram iterum immutavit tum notionem symbolicam et munus Cheruborum (cf. Apocal. IV, 6 sqq. V, 6. 8. 11. 14. VI, 1. 3. 5. 6. 7. VII, 11. XIV, 3. XV, 7. XIX, 4). Quod uberius exponere nunc a proposito nostro alienum est. Summas tantummodo, quam brevissime potero, attingam. Quatuor sunt Cherubi, ut apud Ezechielem, quatuorque animantium formae in iis conspiciuntur, ita tamen distributae ut singulis Cherubis singulae tantum facies datae sint, quibus cor-

33) Currus Cherubini descriptionem ab Ezechiele delineatam respiciens Chronicorum auctor Cheruborum par in templi adyto collocatum parum apte verbis תבנית המרכבה nuncupavit (I. Chron. XXVIII, 18); cf. quae *Berthavius* de h. l. disputavit (Die Bücher d. Chron. 1854 pag. 233 sq.).

pora tota convenienter efficta sint; primus scilicet Cherubus leonis, secundus bovis, tertius, ad faciem quidem quod attinet, hominis[34]), quartus aquilae volantis speciem praebet. Alis, ut Saraphi (Jes. VI, 2), senis instructi sunt; tota autem corpora, quemadmodum ab Ezechiele describuntur, undique oculis obsita. — Nec desunt nonnulla quibus Veteris Testamenti notionem Cheruborum symbolicam non prorsus evanuisse, immo officia qualia antiquitus iis tributa sint, ab iis praestari comprobetur. Etenim ab angelis plane distinguuntur (V, 11. VII, 11) et necessitudine quadam solio divino adiuncti videntur. Quod licet non sustineant, custodire tamen videntur, quum ita sint dispositi, ut solium divinum omnibus partibus cingant[35]), quumque propius ad dei solium accedendi et imminentium poenarum symbola contemplandi potestas a Cherubis Ioanni concedatur (VI, 1. 3. 5. 7). Porro divini numinis vires hominibus exitiosas retinendi et quoties deo placuerit dimittendi officium praestare videntur, quum et tertii sigilli plagae voce e medio quatuor Cheruborum profecta promulgentur (VI, 6), et septem phialae dei ira repletae angelis, qui eas effundant, a Cherubis tradantur (XV, 7 sq. cf. Ez. X, 2. 6 sq.). Attamen nativa et propria Cheruborum notio symbolica ita obscurata videtur ut agnosci vix possit. Saraphorum enim potissimum munus iis delatum est, ut sanctitatis atque maiestatis domini universi mundi praecones essent. Quod ad munus oculorum copia diserte refertur, qua nunquam eos in celebrando deo non vigilare significatur (IV, 8). Ratio autem symbolica, ab Ezechiele quatuor animantium formis subiecta, quum hic solium divinum vectandi munere non fungantur, fere evanuisse videtur. Quamnam vero rationem Ioannes substituerit coniectura tantum assequi possumus; nec sine veritatis specie plerique qui nostra aetate Apocalypsin interpretati sunt, Cherubos ex Ioannis sententia omnes coeli terraeque creaturas repraesentare statuerunt; quam ad sententiam, obscurata quaternarum formarum ratione genuina et vera, facile sane adduci poterat, quum facies diversae ad diversa animantium in terra et aere versantium genera pertinere viderentur (cf. pag. 22). — Convenit

34) Tertii corpus quale fuerit non liquet. Perperam nonnulli (e. c. *Hengstenbergius*) omnium corpora humanae figurae et facies solas quatuor animantium formae fuisse statuerunt.

35) cf. quae *Duesterdieckius* (Krit. exeg. Handb. üb. d. Off. Joh.) de l. IV, 6. disputavit.

huic opinioni hoc quoque quod laudes quibus omnes creaturae in coelo et in terra et sub terra et in mari versantes deum et dei agnum celebrant, a Cherubis, „Amen“ dicentibus, ratae efficiuntur (V, 13 sq.); atque illud quod viginti quatuor seniores, qui homines deo familiares et vitae immortalitatem consecutos repraesentant, a Cherubis ad laudandum deum excitati, illud potissimum praedicant quod a deo omnes res creatae sunt et propter eius voluntatem erant et creatae sunt (IV, 9 sqq.). — Sed qualiscunque est formarum a quatuor animantibus repetitarum ratio a Ioanne constituta, illud exploratum habeto, Apocalypseos Cherubos id potissimum agere ut dei, coeli terraeque domini sanctitas et maiestas debitis laudibus celebretur, qua re nativa et genuina Cheruborum notio symbolica obscurata est.

His hactenus disputatis illud quidem patebit ipsam Cheruborum informationem gentis Hebraeorum propriam fuisse, nec aliunde ad eos esse translatam. Similes sane opiniones apud alias gentes inveniuntur. Ita iam dudum viri docti cum Hebraeorum Cherubis *gryphes* contulerunt, qui in montibus ab India ad septemtriones vergentibus, vel in Arimasporum terra auri thesauros custodire a scriptoribus Graecis et Romanis feruntur[36]), et Apollini sacri, assiduae vigilantiae et custodiae symbola fuisse videntur[37]), quare nonnunquam domus regiae gryphium et sphingium simulacris cinctae erant[38]). At si Cheruborum tabernaculi Mosaici rationes supra expositas reputaveris, hac similitudine non eo adduceris ut gryphes cum Cherubis confundas, vel Hebraeos, delata demum ad eos gryphium notitia, ad Cheruborum cogitationem animis informandam adductos esse statuas. Hoc solum quod Cherubi paradisi custodes constitnti sunt, forsitan a gryphibus, auri custodibus, repetitum (cf. pag. 18). — Porro Cherubo deum vectanti propinquus est ales ille, *Garuda* nuncupatus quo Wischnu deus invehi

---

36) cf. *Herodot.* III, 116. IV, 13. 27. *Pausan.* Graec. descr. ed. Xylandri, Hanov. 1613, pag. 43. *Aeschyl.* Prometh. v. 804 sq. et alios quos *Knobelus* (ad. Gen. III, 24 et ad Jes. XXXVII, 16) protulit.

37) cf. *Creuzerum* (Symbol. u. Mythol.) ed. sec. I, pag. 441 not. II. pag. 200. 674. III. pag. 159 (ed. tert. III. pag. 339). 38) cf. *Herod.* IV, 79.

ab Indis putabatur, et cuius quadriga vectus sol ab iis effingebatur[39]); quae propinquitas statuenda videtur, si praesertim re vera Garudae imagine primitus splendidae nubes quae solem praevolare solent, significabantur[40]). Idcirco tamen neque Hebraeos ab Indis, neque Indos ab Hebraeis doctos esse credideris; dii enim cur animantibus alatis ferri putarentur, ratio sic ab ipsa rerum natura praemonstrata erat, ut diversae et segregatae gentes eam sequi possent. Inde etiam Oceanum alite quadrupede et volucri ad Prometheum vectum esse apud Aeschylum legimus[41]). —

De obscura vocabuli כרוב origine, quae si quidem constat Cheruborum informationem veterum Hebraeorum fuisse propriam, ad radicem semiticam referenda videtur, non habeo quod liqueat. Ne tamen ullam officii partem prorsus descruisse videar, nominum originationis peritiores consuluerim, num forte, quum verbo כרב *constringendi* et *coarctandi* vis subiecta videatur[42]), nomen כרוב inde ductum sit quod antiquitus Cherubi inprimis dei patefacti splendorem cohibere et quasi certo loco concludere putabantur; quod Cheruborum in operculo arcae sacrae collocatorum munus fuisse compertum habemus. —

Sed quoquo modo nomen כרוב enodandum est, illud spero in vera Cheruborum notione symbolica investiganda non sine fructu me laborasse.

---

39) cf. *Philostrati* vit. Apollon. III, 48 (Philostratorum opera ed. *Westerm.* Par. 1849 p. 69).

40) cf. *Lassenium:* Indische Alterthumskunde I. p. 787.

41) cf. *Aeschyl.* Prometh. v. 286 sq. 384 sq.

42) Hoc ipsius verbi et nominum derivatorum significationibus, quae, *Freytagio* auctore, apud scriptores arabicos inveniuntur comprobari videtur; cf. quoque Syr. „ethcarab" textus est, „c'robo" textrina. Radix medium, ut ita dicam, locum tenet inter radices קרב et חרף, גרף (אֶגְרוֹף).

EMENDANDA.

Pag. 1 lin. 6 ab inf. pro „scilicet" l. „dico".
„ 2 „ 1 „ „ „ „יזדה" l. „וזדה".
„ 7 „ 7 „ „ „ „fuisset" l. „fuit".
„ 7 „ 6 „ „ „ „esset" l. „fuisset".

HALIS, TYPIS ORPHANOTROPHEI.